

Alexandrinus, significat, recursum nobis ad Paradisum morte Christi esse preparatum. Sed ne falcem in alienam messem mittamus, malumus, ut, qui velit, adeat *Harmoniam B. Gerhardi Tom. 2. p. 1739. 2066. & 2067.* ubi plura huc facientia occurrunt, quam ut prolixior declarationem à nobis expectet. Proponunt nobis horti nostram nativitatem; nam sicut frustra hortulanus ferit, seminat, rigat, occat, nisi Deus naturæ Dominus benedictione cœlesti labores ejus fœcundet: ita frustra est omne propagandi generis & sobolis desiderium, nisi universi Creator illud impleat. Proponunt nobis nostram vitam, & quomodo geri debeat ostendunt. Duplicem in horto nobis arborem sistit scriptura, bonam & malam, & ex fructu, cujus generis quælibet sit, colligi debere ait. Non sanè ex hominibus boni sunt omnes, qui aut Christi nomine appellantur, aut crucis ejus inultum habent cauterium, sed quis ardor, quæ industria, quòd desiderium singulorum sit, non nisi opera ostendunt. Ipsa cœlestis veritas & æterni Patris sapientia jubet, ut lilia intueamur. Frustra sim, si frustra intuebimur. Sed cur intuemur? Forasan ut inde discamus prima literarum rudimenta, cum Apollinis judicio apud *Ovidium lib. 10. Metamorph.* Ai primæ literæ nominis Ajax in iis reperiantur? minimè. Sed ut recordemur candoris ac studeamus puritati, ne offendamus purissimum, qui inter lilia pascitur. Mala punica si intuemur, charitatis recordemur: Illa enim granis rubicundis ita tument, ut cortex eorum dissiliat: Sic charitatis nostræ opera exuberent. Coronam imperialem si intuemur, humilitatis recordemur: Sicut enim flos ejus pulcherrimus planè deorsum se flectit, ita nos quoque quamvis ingenii aut fortunæ bonis exornati, nos submittere, nec cristas erigere debemus. Heliotropium si intuemur, obedientiæ recordemur: Sicut enim heliotropium solis amore ita tenetur, ut flosculos suos à quocunque cœli loco constitutum convertat & ad motum illius folia sua circumagat, eoque velut gestu auctorem & fontem lucis calorisque vitalis veneratur: Pari modo erectos esse decet animos nostros, ut in quacunque fortuna ducem suum sequantur, & per aspera ad altra, per mundi spineta ad cœli roseta ipsum comitentur. **Palman** si intuemur, liberationis recordemur; Ut enim

E
arbor